



Tomus XIII  
Miscellaneorum Poloby.

POY

26.

TESTAMENTUM  
DAVIDICVM,  
*Sive*  
ULTIMORUM VERBO-  
RVM DAVIDIS

*II. Samuelis XXIII. 1. seq.*  
SUCCINCTA ET ORTHODOXA EXPOSITIO.

DISPUTATIO I.

exhibens εξηγησιν  
versiculi 1. & 2,

*Quam*,  
in incluta Academia Wittebergensi

P R A E S I D E

JOHAN. ANDREA QVENSTEDT,  
SS. THEOL. D. & Prof. Extraord.

Dn. Patreno ac Preceptore suo longè devenerando & amando publicè defendet


CHRISTOPHORUS LANGI

Rustio Hungarus  
In Auditorio Collegii Veteris  
ad Diem Juli horis matutinis;

VVITTEBERGÆ

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,

ANNO CI, I CLIV.



## VIRIS

*Nobilissimis, Amphissimis, Consultissimis, Integerrimis*

Dnn. JUDICI  
SENATORIBVSQVE  
reliqvis omnibus ac singulis  
in Regioliberoq; oppido  
RUSTIO,  
Clavum Reipublicæ tenentibus

Dnn. Patronis, Fautoribus, ac Amicis meis  
longè devenerandis, multùm amandis.  
hocce

Studii Theologici ἐπίδειγμα

offert ac dedicat

CHRISTOPHORUS Lang/  
Rustio-Hungarus.

I.

ULTima dum mecum Jessæi verba revolvis  
Vatis, qvæ fidei symbola certa suæ.  
Ingenii torrentis opes depromis AMICE,  
Thesaurosq; aperis pectoris ipse tui.  
Candidus applaudo cœptis ego testis, & opto,  
Ingenio ut capias præmia digna tuò.

*Amico suo singulari*

L. M. Q. f.

PRÆSES.

II.

QVid, LANGI? Errores, cathedræ de ponte, refutas;  
Et disputas nunc publicè?  
Si benè (ceu fieri tali in tentamine debet)  
Rem gesseris, Laudaberis.

raptim.

*gratul. appos.*  
Johannes Schvartz Sem-  
pronio-Hungarus.

III.

LAUDis habet cumulum lustrasse reperta Sopho-  
rum,  
Qvæ monstrat studiò rerum Natura novatrix.  
At verò laudis multò majora meretur  
Puncta, Sacrosancta vigilans cultura Sophies.

Aeter-

Æternam fert huic recte invigilasse salutem.  
En testem David! Qvem fons potavit alumnum  
Israëlis: & in cœlesti sede locavit  
Ignea vis fidei, redolent qvam verba suprema.  
Istis de, LANGI, medius dum differis inter  
Doctos, spem Patriæ fructus accendis opimi:  
Illa tibi laudes dignas & præmia reddet!

*Eximio Dno Respondenti,  
Contubernali suo dilecto,  
gratulabundus deproperabat*

Christophorus Löhnerus  
N. Hung.

IV.

**D**E *Testamento Davidis* publica, *Langi*,  
Audax, annè rogo, prælia inire studes?  
Applausum facinus, ter dulcis amice, meretur  
Hocce tuum. Grator Voce manuq; Tibi.

Matthias Christophori  
Cromb. Hungarus.

DEO SIT GLORIA.

sc (X) sc

36(1)56



# TESTAMENTUM DAVIDICUM,

Sive,

## Explicatio Verborum ult.

Davidis II. Samuel. XXIII.

i. seqq.

## PROOEMIUM.

**Q**uemadmodum sacrum Davidis Hymnologium, qvod vulgo Psalterium vocamus, *Bi-* Disputat. I.  
*bliorum Epitome est, docente Athanasio Epist. publica Re-*  
ad Marcellin. *totius S. Scripturæ compendium, docente I. spond. Chri-*  
*Augustino de Psalmis; parva Biblia & summarium U.T. stopb. Lang.*  
docente B. Lutherø, cum tota cœlestis doctrina verbo Legis & Evangelii comprehensa summâ brevitate ac mirâ elegantiâ & varietate in eo explicetur atque nobilissimis Exemplis illustretur: sic verba Davidis novissima libro II. Sam. cap. XXIII, prioribus septem versiculis (qui numerus perfectionis est) proposita, sunt quasi summa & brevis quædam complexio totius Psalterii Davidici. Primarium totius S. Scripturæ argumentum. *Christus θεός ἐστιν. Nam ut Bonaventura in principio S. Scripturæ inquit, Testamentum V. totum est de DEO incarnando, Testamentum N. de DEO incarnato, ita ut*

A

Omnia

*Omnia de CHRISTO, per CHRISTUM cuncta loquantur*  
 teste Tertulliano lib. 3. Carmin. contra Marcionem  
 cap. 2. Hinc CHRISTUM Cor Sacra Scriptura Tilemannus  
*Hesbusius* in Programmate qvodam cum Expositio-  
 nem Epistolæ ad Hebræos tradere inciperet Anno  
 1586. Nucleum atque ultimum Scopum, τέλος σπουδ-  
 των, adeoque Centrum Scripturæ, ad qvod omnia  
 referantur, *B. Gerhard.* Ilagog. Loc. Theol. disp. I. c. 4.  
 vocat. Librum Psalmorum si spectes, certè Salvator  
 humani generis ne passum qvidem unum, ut qvidam  
 ait, movisse videtur, qvem David non prædixerit. Ita  
 diligenter & dilucidè Servatoris adventum, vitam,  
 mores, doctrinam, miracula, passionem, mortem, se-  
 pulturam, descensum ad inferos, ascensionē in cœlos,  
 sessionem ad dextram Dei Patris, gentium conversio-  
 nem, Judæorum excoecationem, Ecclesiæ ortum &  
 progressum cantu & carminibus celebrat, ut Evange-  
 lista potius, qvām Propheta fuisse videatur. Hæc ipsa  
 qvoq; verba Davidis ultima de Christo, ejusq; duabus  
 Naturis, potentia & regno æterno, ac deniqve de tra-  
 gicis hostium Christi & Ecclesiæ poenis vaticinantur.  
 Totius Christianæ religionis caput summum & my-  
 steriorum omnium primum est mysterium Sanctæ &  
 Venerandæ Trinitatis, sed & hanc clarè profitetur  
 Hebronis & Hierosolymorum imperator David, cum  
 alibi, tūm in his suis novissimis verbis. Quid aliud cla-  
 mant omnes sacræ paginæ & in specie Psalmi Davidi-  
 ci, qvām non voluntate hominis allatam esse aliquan-  
 do prophetiam, sed à Spiritu S. actos locutos esse San-  
 ctos Dei homines *II. Pet. I. 21.* Idem in Summario hoc  
 suo totius Psalterii David docet, inquiens: *Spiritus Do-*  
mini

mini loquutus est per me & sermo ejus per lingvam meam:  
Quid aliud S. Scriptura & in eâ liber Psalmorum ur-  
get, qvam Deum esse fortem, potentem, justum, domi-  
natorem omnium, maximè eorum qui Deum timent.  
Idem hic David inculcat. Qvod itaqve Psalterium est  
Scripturæ, hoc ultima hæc Davidis confessio est Psal-  
terio, i. e. summa ejus & qvoddam qvâsi cōpendium.  
In hac autem præstantissima Scripturæ Propheticæ  
pericope exponenda ita versabimur, ut I. Textus ipse  
brevi analysi atqve exegesi illustretur. II. Articuli fi-  
dei, qvos hic contineri diximus hinc atqve ex aliis lo-  
cis parallelis demonstrentur. *Dirige nos in Veritate  
tua Domine, & doce nos, qvia tues Deus Salvator no-  
ster!*

Th. I. Anteqvam ad verborum Enarrationem ac-  
cedamus cohærentia eorum cum præcedentibus pau-  
cis prælibenda est. Ubi 1. in genere notandum, omnia  
Libri 2. Samuelis capita ab XI. ad finem usq; libri con-  
tinuâ serie inter se connecti. Observavit hoc freqventi  
lectione B. Wolfgangus Franzius, Theologus in hac  
Academiâ qvondam celeberrimus, unde in Tractatu  
de sacrarum Script. legitima interpretatione Oraculo  
XVI. pag. 224. *sep̄issime, inquit, percurri totum librum  
Samuelis secundum, & tandem deprehendi, nexus indis-  
solubili, cum primis omnia istius libri capita, inchoando ab  
ipso XI. usq; ad finem libri II. Samuelis procedendo, tan-  
qvam simul cohærentia consideranda & ad sufficientiam  
usq; expendenda & estimanda esse.* II. In specie obser-  
vandum hoc ipsum XXIII caput (qvod duo membra  
continet, qvorum prius ultimam Davidis confessio-  
nem, posterius fortium illius virorum Catalogum

complectitur,) cum proximè præcedente capite connecti per particulam 1 qvæ licet varie usurpetur in V. Testamento , adeò ut Proteus à multis appelletur, hoc tamen loco connexiva esse videtur. Caput autem præcedens XXII. qvod integrum repetitur *Psal. XVIII.* his verbis finitur : *Idcirco celebrabo te, Jehova, in gentibus & nomini Tuo psallam, dicens ipsum esse turrim, omnimodam salutem regis sui, & exercere benignitatem erga unctum suum, Davidem & Semen ejus usq; in seculum.* Statimq; pergit rex David ; וְאֶלְעָזָר Et hæc verba David postrema &c. q. d. und da sol es bey bleiben/da bey wil ichs lassen.

verf.1.

II. הַבָּרֶךְ Verba. Nomen הַבָּרֶךְ Verbum, sermonem, item rem, negotium, aliquid, qvidqvā in Scriptura notat. In posteriori significatione usurpatur *Gen. XVIII. 14.* Nunquid abscondetur à Domino הַבָּרֶךְ qvidqvā? *Exod. XVIII. 16.* Qdum fuerit inter illos הַבָּרֶךְ causa seu negotium, veniunt ad me. Sic qvoq; in N.T. ῥῆμα, verbum pro re gesta vel facta sumitur *Luc. II. 15.* Transcamus in Bethlehem & videamus ἡ οὐρανοῦ τόπον ἡ γεγονός i.e. qvod factum est. Et Angelus Mariæ virginis, et si de re non diffidenti, de modo sollicitæ *Luc. I. 37.* σὺν αὐτῷ στέψασθε πάντα ῥῆμα. Non est impossibile apud Deum ullum verbum, ullares, ut sensus sit. Nihil est qvod Deus nō posset suā omnipotentia efficere. Recte Lutherus: bey Gott ist kein Ding unmöglich. Usurpatur etiam λέγω pro re *Marc. I. 45.* & alibi. Hoc loco vero, ut ex contextu patet, verbum seu sermonem significat. Secundum excellentiam nomen הַבָּרֶךְ tribuitur secundæ SS. τετάρτῳ personæ, Filio nempe Dei *Psal. XXXIII. 6.* qui est verbum supremum, perfectissimum & interminabile Divinitatis.

III.

III. **הַחֲרִין** postrema, novissima. **אַחֲרֵי** masculinum, qvod hic cum ה Emphatico legitur, idem est qvod Latinis posterior, postremus, novissimus, ultimus. Occurrit tum alibi, tum imprimis *Esa. XLVIII.12.* ubi DEUS de seipso: *Ego primus, etiam Ego אַחֲרֵי novissimus.* Qvomodo autem haec Davidis verba dicantur novissima, cum illa non dixerit ultimæ admotus linea, extremamq; vita clausulam appositurus, sed post illa prolatæ verba & multa alia locutus sit & gesserit, non una est interpretum sententia. *Alphonsus Tostatus Abulensis in Hispania Episcopus, Hispaniarum Regis Consiliarius & major Referendarius, vir hebraicè doctus & suo seculo magnus, cujus cùm in Samuelem, tûm in cæteros V. T. libros Historicos, & in Evangelium Matthæi uberrima extant commentaria, hic, inqvam, Rabbi David Kimchi expositionem sequitur, qui istud intelligendum esse ait de verbis, quæ dixit David spiritu Prophetico, ut ita haec verba Davidis novissima sint & postrema, quæ spiritu afflatus propheticò ediderit.* Idem sentiunt *Casparus Sanctius & Job. Steph. Menochius Jesuite in b.l.* Aliter respondere Literam Chaldaicam, inquit jam laudatus Tostatus, sc. qvod sint verba novissima, i. e., verba de Messia prolatæ; ut enim Messie tempora in Scripturis dicantur tempora ultima, sic & Prophetia de illo ultime prophetia. *Nicolaus à patria, Liræ, Brabantæ oppido, Liranus vulgo dictus & commentariis in universam Scripturam imprimis clarus, verba haec ideo ultima dici statuit in expositione sua, qvod maxime memoria commendanda.* *Guilielma Estius Duacensis Acad. qvondam Theologus in h.l. Novissima verba dicuntur, ait, non qvod ea omnium*

postremò locutus sit, sicut qvæ loquitur in lecto aggritudo statim moriturus; qvalia sunt qvs Jacob ad duodecim filios, & Moyses ad tribus Israël jam jam morituri locuti sunt; sed vocantur verba novissima David, qvia ea cecinit & recitat post omnes Psalmos à se compostos, & sub finem regni, ut verba ista sint sigillum quoddam omnium Psalmorum ejus quo præcedente prophetiam suam omnem; Psalmis comprehensam consignat. Paria afferit Jacobus Tirinus Antverpianus Jesuita in h.l.commentans; Verba David novissima, scilicet addit, qvæ Psalterio suo subtexxit, prorsus ultimo loco. Sed possent non incommode primo loco collocari, cum sint quasi titulus & prefatio totius Psalterii & summa quedam eorum qvæ in Psalterio toto pluribus locis digesta sunt. B. Lutherus in luculento suo ac divino Spiritu pleno horum verborum commentario, qvem tertio ante beatum obitum Anno Germanicè scripsit, novissima dici hęc verba existimat qvæ sic locutus sit David, ut testaretur se ad extremum usque spiritum ea velle tenere & in horum confessione se immoritum & ex hac vita discessum esse. Emphatica sunt verba Lutheri Germanica: Solche lezte Wort meinet Er / darauf er sterben und hinfahren wil / wie man spricht / darben ichs lassen / und ewig bleiben wil. Dicuntur ergo verba Davidis novissima non ratione temporis vitæ, gubernationis & imperii, sed ratione ultimæ voluntatis, qvam vocant, & velut Testamenti, qvod morte sua confirmaturus sit. Hęc enim verba sua David, instar conditi Testamenti, rata firma & fixa esse voluit.

IV. דָבָר מְלֵאָה tritum & commune fuit in Exordiis prophetarum, præsertim Esaiæ, Jeremiæ & Ezechie-

Vid. Tom. V.  
Witteberg.  
Germ. &  
T. III. Witteberg.  
Lat.

Ezechielis vocabulum. Usurpatur enim ut plurimum de oraculis divinis vel à Deo immediatè ad prophetas, vel à prophetis nomine Dei ad homines factis, atque omnium primò legitur Gen. XXII. 10. & deinde multoties. Alii Hebraeorum Philologi Nomen esse censent, alii Participium præteriti temporis, alii Nomen participiale esse perhibent. Unde modò per dictum, modò per præsens indicativi dicit, ait, modò per præteritum dixit (ut ab Hieronymo & aliis interpretibus) redditur. Ipsi etiam Chaldaici Paraphraſtæ Jonathan & Onkelos vocem אָמֵן s̄ape dixit verunt. Notat autem σέντη sermonem certum, fide & acceptance dignum, dictum verum, indubitatum & infallibile. [Leviter transpone literas σέντη & fiet ομέν Amen, veritas.] Hinc Deo propriè tribuitur undequaque veraci, aut prophetis & viris à Spiritu S. impulsis. Improbitati per περισσωπον οὐαν tribuitur Psal. XXXVI. 1. Υψηλή σέντη Dictum improbitatis de impiò in mediorum cordis mei; non est timor Dei in Oculis ejus (vel ante oculos ejus). Ubi sensus est: Impia hypocitarum facta atque scelera in corde Davidis evidens testimonium parentiæ timoris Dei perhibere, ac si ipsa veritatem hanc proloquerentur. In N. T. habet sibi respondentem formulam Emphaticam. Vocatur enim πιστός λόγος, quā formulā utitur Apostolus quoties sermō aliquid vult afferere, ut patet ex I. Tim. III. 1. II. Tim. II. 11. Tit. III. 8. I. Tim. I. 15. & c. IV. v. 9. aliud additur Epitheton πιστός ὁ λόγος πάστος διποδοχῆς ἀξιός, fidelis sermo (i.e. certus & indubitatus, vel ut Theodoreetus vertit, ab omni mendacio alienus & firmus) & omni acceptione & approbatione dignus, contradictioni justa & nulli expositus. Significat

gnificat igitur verbum נָכַן h.l. non simpliciter dicit, sed verum dixit, certum asseruit, certò affirmavit, unde & LXX senes reddiderunt πιστός Δαβίδ.

V. בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל Filius Isai. Qvām humile & demissum, qvod verè ait B. Lutherus, Exordium! Qui enim Dux super Israel I.Sam.XXV.30. Lucerna Israel II.Sam. XXI.17. homo ad Cor nutumque Dei factus, Vatum Regumque sacrorum maximus, gloria, opibus ac potentia florentissimus, non regis titulum sibi tribuit aut principis, sed modestissimè se appellat Filium Isai, i. e. hominis obscuri & ignobilis. Erat pater Davidis Isai vel Jesse Bethlehemita, vir rusticanus, qui rem curabat pecuariam, cui septuagenario uxori octavum hunc & ultimum dedit filium. Anno ab Orbe condito bis millesimo nōgentesimo quinqagesimo. Ante natum mundi Salvatorem, cuius typum gerebat David, millesimo, centesimo tertio. Obscurus, inquam, hic Isai erat & quasi unus ē populari turba, unde Davidem cōtemtim appellabant filiū Isai I.Sam.XX.27. Et I.Reg. XII.16. vel, ut dixi; propter domus humilitatem, vel qvod illi exprobrarent Aviam Moabitidem, nempe Ruth ( qvæ erat ex gentibus & non Hebræa ( ut placet Pinede de rebus gestis Salomonis lib. I. c. 5. Nō tacer tamē Isai nomen Esaïæ de Christo vaticinium Esa.XI.1. Ereditur virga de radice Jesse i. e. prodibit Christus ē genere desolato Jesse & Davidis tanquam virgula ē succiso truncō ac penè intermortuo, ut ὁ Φραντζέ Franc: Junius Parallelorum sacrorum lib. I. parall. 8. Versu 8. jam dicti capit. ipse Messias vocatur radix Isai & Rom. XV.12. ἡ πίστη τοῦ λεοντοῦ h. e. surculus ex radice Jesu secundum carnem prognatus. Observandum hic obiter, Isai & Jesse non duo

duo diversa nomina; ut vult *Anselmus* citante *Job. Drusio ad voces Hebraicas N. T.* Sed unum idemque nomen esse, quod eisdem literis hebraicis שׁ constans aliis atque aliis vocabulis à LXX. Græcis & Latino Interpretate lectum est. *Libro I. Paralipomenon* (i. e. derelictorum aut prætermissorū) II. 12. legimus scriptū hoc nomen cū aleph addito שָׁנָה. Codex vero Græcus N. T. *Matt. I. 5. 6. Luc. III. 32. Act. XIII. 22. Rom. XV. 12.* legit λεσσαὶ.

**VI.** Sed pergit David Jessæus וְאַמְתָּה גָּבָר *Dixit ille vir &c.* Similem locutionem habemus Num. XXIV. 3. ubi Balaam, melior Oraculo, quam Exemplo prophetæ aggressurus prophetiam sic infit: *Dixit Balaam filius Beor: dixit homo cuius obturatus est oculus (ita legit vulgatus interpres; Cajetanus, Vatablus, Augustinus Steuchus, Eugubinus, Tremellius & alii contrario sensu vertunt: cuius apertus est oculus, quibus favent LXX. interpres qui reddunt: Φησίν ὁ ἀνθρώπος ἀληγόρως ὄπων, dicit homo verax videns, Chaldaeus itē Paraphrastes, vir qui pulchre videt) dixit auditor sermonū Dei &c.* Litera גָּבָר servilis est, vim habens pronominis demonstrativi more Græcorum articulorum. Vox vero גָּבָר virūm, heroa notat, validum, robore prævalentem, à verbo גָּבָר quod est valuit, invaluit, prævaluit, validus & robustus fuit, & ideo propriè significat virum, qui etiam apud Latinos à viribus sic appellatur. גָּבָר quoque Christus dicitur ἡ αὐθωπός ratione humanae naturæ Jerem. XXXI. 22. Et Zach. XIII. 7. ubi גָּבָר עִמְתֵּה Vir meus proximus à Jehova vel Deo patre appellatur, h. e. in societate conjunctissima & summâ cum Deo patre. Vid. Dr. D. Dorschei, *Theologi clarissimi Pentadec. diss. 3.* Alias generalissimè usurpatur vocabulum

bulum id, notante Mercero, ut etiam distributivè sumatur pro aliquo vel quodam Joël. II. 8. Job. XIV. 10.

VII. **הַקְמָת עַל מִשְׁוֵרוֹן וּבְעַקְמָת** Variè hæc verba vertunt Interpretes. LXX ita transferunt: *Quem suscitavit Dominus in Christum s. Unctum Dei Jacob.* Consentit Chaldaeus. Vulgata ita habet: *Dixit vir, cui constitutum est de Christo Dei Jacob.* Arias Montanus ita reddit: *Et dixit Vir constitutus excelsus unctus Dei Jacob.* Tigurina ita legit: *Et ait ille vir, qui constitutus erat, ut esset unctus Dei Jacob.* Tremelius: *Dictum inquam viri, qui constitutus est excelsus unctus Dei Jacob.* Pagninus: *Et dixit vir, qui est constitutus excelsus, Christus Dei Jacob.* Indoctaq; eorum Expositione vocat sive Pagninus in Thesauro Lingvæ S. sive qui eum auxit & recognovit Mercerus ad vocē **מֶלֶךְ יְהוָה** qui reddunt erectus super Messia i. e. certior effectus de Messia. Cassparus Sanctius Comment. in h.l. communem omnium fermè sententiam esse ait, hæc à Davide de seipso fuisse prolata & esse unum ex Titulis quibus seipsum à cetera multitudine distinguat. Quasi dicat, se illum esse virum quem Deus constituit unctum aut Christum, i. e. regem, primum in paterna domo deinde secundò & tertio in Hebron. Addit porrò Christum s. unctum Dei nō semel appellari Regem Israel, maximè cum designante & jubente Deo ad regnum assumitus sit oleo delibutus. Idq; probat Exemplo Saulis, qui sapienter vocetur Christus Domini. Ipsiisque Davidis, qui de seipso capite præced. v. si. Faciens (nempe Deus) misericordias Christo suo David. Idem sentiunt Nicolaus Serarius & Jacobus Tirinus ad h.l. Enimvero majora sunt verborum pondera. Non gloriatur David h.l. se à Deo in magnâ dignitate (ut Franciscus Vatablus

tablus explicat in Notis) aut regem temporalem (ut jam dicti Autores volunt) constitutum esse, hanc enim dignitatem præ illa altera gloriæ sublimitate in dominum suam per Messiam conferendæ tanti nō aſtimat, sed se de Messia ex stirpe suā nascituro & regni hærede regni thronum perpetuā gloriæ stabilituro per divinam promissionem II. Sam. VII. 12. seq. certificatum ac confirmatum esse, idq; se firmā verāq; fide tenere prædicat. Multò ergo rectius Alfonſus Toſtatus; cui cōſtitutum est de Christo Dei Jacob, i. e. inquit, qvæſt. 3. in h. l. Cui facta est promissio certa de Christo, b. c. Mefſia, qui est Dei Jacob, i. e. qvi missus est & tunc mitten-  
dus erat à Deo Jacob, Et poſtea, dixit iſta qvæ ſequuntur ille vir, cui data eſt certitudo de Christo Dei Jacob, i.e. de Mefſia, qvem promiſit Deus Jacob. Et Cornelius à Lapide in h. l. Primo planè ſic de Christo exponas, inquit, q. d. Dixit David, cui facta eſt promissio de Mefſia ſive Chriſto ex ſe nascituro, qvi eſt Chriſtus DEI veri, qvem coluit Jacob Patriarcha, qvia unctus à DEO in ſummum mundi regem & pontificem. Et poſt pauca: primus ſenſus (jam dictum intelligit) planiſſimus eſt, eumq; exigit rō de Christo, vel ut Hebr. eſt, ſuper Chriſtum, & rō dixit pro quo Hebr. eſt ΚΝΩ i. e. dictum, effatum, ſermocertus & irrefragabilis, oraculum. Hæc ille. vox ΚΝΩ [cujus radix ΚΝΩ non ſolū ſurgere & resurgere, ſed & stare, perſtare, firmiter conſistere ſignificat, ut Eſa. XL. 8. Verbum Domini ΚΝΩ ſtabit, conſiſtet in eternum] empatica eſt, ſignificat enim ſtabilitum, certificatum, firma-  
tum. Et exiſtimat B. Lutberus in b. l. ad hanc vocem reſpexiſſe & alluſiſſe Apoſtolum Paulum in deſcrip-  
tione fidei Ebr. XI. 1. ubi fidem dicit ΚΝΩ ὁ ſuſt, ſubſtan-  
tiam,

tiam, id est, firmam & certam fiduciam, nitentem verbo Dei tanquam firmo & immoto fundamento. Sensus ergo paraphrasticus Verborum Davidis hic est. Ego sum is cui Deus certò promisit Messiam seu Christum Dei Jacob, videlicet hunc ex me nasciturum esse, seu meo de sanguine, ex mea posteritate & domo mea. De eo prorsus certus & confirmatus sum. Non eò tantum, quod Deus hoc promisit, qui in verbo suo verax & confans est & mentiri nescit, sed etiam quod ego certa & firma fide hoc teneo & securus ac sine dubitatione hac promissione nitor, certus quod bac fiducia non sit me frustratura, itaque magno & firme animo in verbo Dei acquiesco. Ita optimè regii vaticinii item exprimit Theander Lutherus.

VIII. Nomen Ιησοῦ uncti, quod LXX, per xv. 50v transtulerunt à Davide primum de Salvatore usurpatū est h.l. Et Psal. II. 2. repetitū à Daniele c. IX. 25. 26. ut observat admodum Rev. Dn. D. Dorschus Dissert. II. Pentadec. de eterna & λόγω generatione ex Psal. II. 7. thef. XIII. Sibi ipsi verò Salvator Messias sive Christi titulum tribuit Job. IV. 26. Angeli denunciant Luc. II. ii. dæmonia contremiscentia clamant c. IV. v. 41. Discipuli ore Petri profitentur Matth. XVI. 6. & constanter propugnant I. Job. II. 22. c. IV. v. 2. 3. Et quanquam sub Lege veteri Messias & Uncti Domini dicebantur, qui Solemni Unctione sublimi cuidam officio consecrabantur II. Sam. I. 14. Psal. CV. 15. utpote reges I. Sam. X. i. XVI. 13. I. Reg. I. 39. Sacerdotes Exod. XXIX. 7. Levit. VIII. 12. XXI. 10. & 12. Prophetæ I. Reg. XIX. 16. singularissimo tamen quodam modo æterno ac unigenito Dei filio nomen Messias sive Christo adsignatur. Is. n. na<sup>o</sup> ἐξοχὴ est unctus Domini, quippe quem unxit Deus oleo lati-

*letitia & (secundum humanam Naturam) pre confortibus suis  
(i. e. creditibus & adoptivis Dei filiis, qui sunt fratres  
Christi, ad eandem cum ipso hereditatem & regni posses-  
sionem vocati) Psal. XLV. 8. Heb. I. 9. Ab hac ergo prorsus  
singulari unctione (in qua UNGENS est Deus Pater Ps.  
XLV. 8. Act. X. 38. non tamen exclusis reliquis SS. Tri-  
nitatis Personis, UNGVENTUM Spiritus S. cum immen-  
sa divinorum δυνάμεων plenitudine Act. X. 38. Job  
III. 34. UNCTUS Ipse Christus secundum eam Naturam,  
secundum quam habet consortes & in qua nos sumus  
participes ejus, i. e. assumptam humanam.) Secunda SS.  
Trinitatis Persona MESSIAS seu Christus dicitur, quae  
appellatio officium ejus triplex; Propheticum, Regium  
& Sacerdotale indicat, quod Prophetarum, Regum  
& Sacerdotum prisca Unctio figurabat. Ut autem Sal-  
vator ab unctione Christus, sic nos ab ipso Christo  
Christiani vocamus, quo nomine primum salutati  
Apostoli sunt Antiochiae Actor. XI. 26. Occurruntq; id  
nominis Actor. XXVI. 28. I. Petr. IV. 16.*

IX. Circa hoc nomen observandum (verba  
sunt Clar. Joh. Buxtorfii, filii, dissertat. de nominibus  
Dei hebraicis thes. 37.) illud sub triplici forma de DEO in  
Scriptura S. legi: אֱלֹהָי ELOAH in singulari numero:  
אֱלֹהִים ELOHIM & אֱלֹהִים ELOHE forma numeri pluralis  
absoluta & constructa; & cum affixis pronomini-  
bus אֱלֹהִי Deus meus אֱלֹהִים Deus tuus &c. Hoc loco  
habetur forma numeri pluralis constructa יְהֹוָה cuius  
absoluta est יְהֹוָה Forma vero singularis יְהֹוָה uti-  
dictum. Hoc nomen sua potius quam alienae esse o-  
riginis existimant Job. Buxtorfius, Schindlerus & alii.  
Mercerus vero Thomas Erpenius, Sixtinus Amama, Lu-

dor, de Dieu nostriqve celeberrimi Theologi Dn. D. Gläsius & Dn. D. Calovius radicem ejus statuunt אלהָן (cum נ Mappik. in fine, cum notione adorandi) thema in Hebrâ lingva (qvæ hodie S. literarum limitibus circuſribitur) inusitatū, ut ita vox אלְהָן vi Originis suæ notet eum, qvi adorandus & religioſe colendus, non dominum aut dominatum formaliter, ut vult Crellius. Adhibetur autem hoc Nomen tum propriè tum impropriè. Primò ac propriè sumptum nulli nisi uni vero & æterno Deo convenit. Impro- priè verò & secundariò acceptum etiam aliis extra Deum tribuitur, & quidem vel κατεχεντιῶς & κατά δό- ξαν, ex vanâ hominum aestimatione, utpote Idolis Exod. XXIII. 24. Jud. XVIII. 24. I. Reg. XI. 33. Esa. XXXVI. 18. qvod pro Diis & Numinibus à suis cultoribus ha- bentur. Vel μεταφοριῶς aut κατ' ἀναλογίαν propter similitudinem qvandam & congruentiam cum Deo, videlicet i. Angelis Psal. VIII. 6. confer Ebr. II. 7. Psal. XCVII. 8. confer Hebr. I. 6. qvod in ipsis divina gloria & potentia refulget. Quantumvis autem bonis Ange- lis attribuatur vox אלהָן nullibi tamen legitur Diabolo vel malis Angelis in scriptura attribui. II. Ju- dicibus & Magistratibus aliisqve summis & dignitate præstantibus viris. Exod. XXI. 6. Adducet illum herus ejus ad Deos, i. e. Judices, ut vertit Chaldæus, item c. XXII. 8. & Psal. LXXX. II. 7. qvod Dei judicantis & gu- bernantis vices gerunt. Dii enim dicuntur propter potestatem, qvam divinitùs concessam habent in sub- ditos. Exod. IV. 16. His verbis Deus munus & vices inter Mosen & Aaronom partitur; ipse erit tibi pro ore, & tu eris ei אלהָן pro Deo. Est alicui pro ore, est esse i- psum

psius interpretem, ipso dictante & mandante loqui. Esse alicui pro Deo, est esse vice Dei, sugerere ei ea quæ à Deo accipit. Sensu itaq; est: ipse erit tuus interpres & tu eris apud eum interpres Dei ut dicitur *Exod. VII.*  
*2. Tu loqueris ei omnia quæ mando tibi & ille loquetur ad Pharonem.* Hoc ipso cap. vers. i. Moses appellatur בָּרַעֲנֹם futurus Deus Pharaoni participatione nempe Eminentiae & potestatis divinae contra Pharaonem. Notandum porro אלְהָם non tantum esse plurale quoad terminationem sive inflexionem vocis, sed etiam simul quoad sensum & significationem, atq; ita ex eo non quidem determinat Trinitatem, attamen pluralitatem Personarum in una & simplici Essentia divina recte probari. Non enim dubitamus Mosen in descriptione Creationis totius universi utendo nomine plurali אלהים cuius tamen singulare extat atque in usu est, & construendo illud cum verbo singulari voluisse per vocem pluralis numeri insinuare & innuere pluralitatis mysterium in unâ Deitate simplissimâ, quæ unitas voce בָּרָא singularis numeri innuitur. Certè si nomine אלהים non significatur pluralitas in divinitate, nulla ratio dari posset, ob quam Moses dixerit בָּרָא אלהים & non בָּרָא אלהים. Ipsæque circumstantiae textus docent vocem אלהים pluraliter esse explicandam, statim enim subjungit Moses, & *Spiritus Domini incubabat aquis*, innuens & subindicans ideo se usurpare vocem pluralement ut testaretur personarum in una Essentia divina pluralitatem. Sed hæc plenius alibi discutiuntur.

X. בְּנֵים, vulgata: *Egregius Psalter. Pagninus; dulcis carminibus, Arias Montanus jucundus psalmis,*  
*Tre-*

Tremellius; amoenus psalmis, Tigrina; gratissimus psaltes. Verbum זֶבַח Hebræis, chaldæis, Syris, Arabibus significat cecinit, voce vel instrumento, modulatus est carmen concisum & breve, amputatis omnibus supervacancis, ut observat D. D. Dorsch. Dissert. II. Pentad. supr. cit. §. i. In Kal enim זֶבַח idem est quod putavit, amputavit, præcidit) est itaque David בְּשָׁם זֶבַח jucundus, snavis carminibus & modulationibus arte compositis, cantionum sacrarū scriptor & modulator egregius. Hinc Hieronymus præfat. sup. Biblia ad Paulinum; David, inquit, Simonides noster, Pindarus & Alceus, Flaccus quoque Catullus atque Serenus Christum hyra personat & in decachordo Psalterio ab inferis excitat resurgentem. Non tantum enim hīc snaves & dulces Psalmi vocantur, inquit B. Lutherus Comment. in b. I. (ut verba ejus expressit Caspar Cruciger Tom. 3. Witteb. lat. fol. 83.) ab illa snavitate compositionis & concinnitatis verborum aut soni numerorum & modulationis in canendo, demulcente aure: quam Grammaticas aut Musicam vocare licet, h.e. ubi & in cantionibus, qui vocantur Textus seu ipsum carmen & ipsi numeri, soni ac concentus musici singularem elegantiam & snavitatem habent. Sed multo magis propter peculiarē gratiam & suavitatem doctrinæ & consolationis spiritualis, ut Paulus Eph. 4. vult cani in Ecclesiis spirituales Odas cum gratiâ. Hac gratiâ & suavitate præcipue excellunt Psalmi Davidici, mirifica vi & efficacia ad consolandum afflictas mentes & conscientias, luctantes in terroribus peccati & metu ac fugâ mortis & ærumnis omnis generis. Talibus Psalmi verè sunt dulcis, jucunda, solatii plena cantio, qvia Messiam canit & præ-

& prædicat, etiam cum sine modulatione musicâ ipsa verba recitantur. Hactenus Lutherus.

XI. לְשׁוֹרָאֵל Egregius scil. Psalteres Israelitarum, vel in Israele, vult enim dicere, se psalmos de Messia promisso à se egrégie compositos non sibi soli cecinisse sed toti Israeli, velleque ut publicè canantur in cœtu populi Israelitici. Hinc Franc. Vatablus ad verba hæc annotat, שָׁוֹרְאַלְעִים in Canticis Israel, nam composuit Psalmos השׁוֹרְאַלְעִים, qvibus in laudando Deo uititur Israel. Sumitur autem vox שָׁרֵאַלְעִים Israel 1. pro Patriarcha Jacob cui id nominis à Deo primum inditum. Gen. XXXII. 28. & postea confirmatum cap. XXXV. 10. 2. pro omnibus Jacobi posteris, seu pro ipsa gente Israelitica sive Judaica passim. 3. pro ipsis filiis spiritualibus Rom. IX. 6. εἰς πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, εἴσι Ισραὴλ. Non enim omnes qui ex Israel bi sunt Israelite, neq; qui semeni Abrahe, omnes filii, sed in Isaac vocabitur tibi Semen. Diversè hic Apostolus distinguit Filios Israel secundum carnem, à filiis Israël secundum Spiritum, vult enim dicere non omnes qui ex Jacobo patriarcha carnaliter prognati sunt ii sunt veri Israelitæ, secundum mentem Scripturæ, seu filii promissionis, i. e. ad quos pertineat divina promissio Spiritualis facta Abrahamo & Israeli. Hæc enim promissio spectat ad solos spirituales illorum filios, nempe qui fidem illorum imitantur, quales sunt pauci ex Judæis, plurimi ex gentibus. Hinc & sub N.T. populus Christianus seu Ecclesia Christiana constans tum ex Judæis, tum ex gentibus dicitur Ισραὴλ τοῦ Θεοῦ Israel DEI Gal. VI. 16. Et denotatur per domum Jacobi sive Israelis Luc. I. 33. Cui opponitur Israel secundum carnem I. Cor. X. 18. i. e. Judæi

C

qui

qui carnali propagatione descenderant ex Jacobo seu Israele, nec credebant in Christum sed externis sacrificiis & ceremoniis vacabant. Breviter, vox Israel modus noster & veros Jacobi filios, modò vero & degeneres, modò utrosque simul notat.

XII. In haec tenus explicato versiculo 1. ponit Ecclesiæ DEI Pindarus David primò suum nomen, Prophetarum more cum consveto eorundem Exordio נָאָם דָוִיְד Deinde paternum exprimit genus, simul que indignitatem suam modestissimè agnoscit dum se filium Isai hominis obscuri & popularis appellat, mox Propheticam suam dignitatem intuens & sublimitatem gloriae in domum suam per Messiam conferendæ, cuius promissio stirpi Davidicæ alligata erat, mente complexus, plenus spiritu propheticō in sequente 2. & 3. commate nunc unam Personam Divinitatis, nunc alteram, mox tertiam introducit loquenter.

XIII. רוח יהוה רברבי Spiritus Domini locutus est per me, vel ut rectius efferam ἐμφασιν phraseos hebraæ, in me. Paria legimus Num. XII. 2. An duntaxat in מֹשֶׁה locutus est Jehovah, annon etiam בָנֵינו in nobis locutus est. vers. 6. In Iomnio loqvar כִּי in eo vers. 8. Ore ad Os loqvar כִּי in eo. Hos. I. 2. Initium sermonis Domini בְּהַשְׁעָר in Hosea. Habac. II. 1. ut videam quid loquatur בִּי in me. Matth. X. 20. Non enim vos estis qui loquimini sed Spiritus Patris vestri qui loquitur cuī nūn in vobis II. Cor. XIII. 3. Quandoquidem experimentum queritis cuī εμοὶ λαλῶνται Χριστὸς in me loquenter Christi. Hieronymus in Comment. super Habacuc: Sed & hoc notandum, inquit, ex eo quod dixerat, ut videam, quod

quod loquitur in me, prophetiam, visionem & Eloquium. Dei non extrinsecus ad Prophetas sieri, sed intrinsecus & interiori homini respondere. Unde & Zacharias & Angelus inquit, qui loquebatur in me & in Psalmis, audiam quid loquitur in me Dominus. Eucherius de quaest. Vet. & N.T. Loqui in aliquo dicitur Deus cum ea quae agi vult ejus cordi ut agantur, inspirat, secundum illud, audiam quid loquitur in me Dominus. Locutio hec Hebraica est, ait J. Drusius Comment. ad difficiliora loca Numer. c.LIII. & internam revelationem significat, ut cum Deus voluntatem suam alicui patefacit per Spiritum propheticum. D. Joh. Tarnovius Comment. in Hose. c. l. v. 2. Quando verbum קֹרֵא cum בְּנֵי construitur ex sententia Kimchi notat prophetiam vel quamcumq; inspirationem divinam immediatam. Significatur ergo hic per קֹרֵא בְּנֵי emphaticè interna Spiritus S. inspiratio & inhabitatio Dei singulare in Davide atq; adeo in omnibus prophetis, ut mox dicetur pluribus. Reperitur tamen alibi idem verbum cum hac præpositione constructum ubi hanc internam patefactionem significare nullo modo potest, v. g. Deut. VI. 7. Iterabis ea filiis tuis & loqueris in eis. I. Sam. XXV. 39. Et misit David & locutus est (per Legatos) in Abigael. In his locis in valet cum. Sumitur etiam interdum pro contra utpote Num. XII. 1. Locuta est Miriam & Aaron in Mosen i. e. contra Mosen & XXI. 5. Locutus est populus in Deum & in Mosen i. e. contra DEUM & contra Mosen. Vid. Drus. animadv. Lib. II. c. XLIX.

XIV. Verba haec רְבָרְתָּן bifariam exponi possunt. i. quidem per Appositionem, quam vocant, ut נִזְמָן sit casus primi seu Nominativi hoc modo: Spir-

C 2

tus

tus JEHOVA vel Dominus locutus est per me. 2. In regimine ut יהוה regat Casum Genitivum hoc pacto: Spiritus Domini locutus est per me. Posterior exposicio respicit originem & characteristicam proprietatem, quod scil. Spiritus S. Patris & Filii Spiritus sit, h. e. ab utroq; per spirationem procedat. יהוה enim seu Spiritus Tertia Deitatis persona appellatur, non ideo maximè & primario, quia corporis expers est, nam & reliquæ duæ Personæ (Pater & Filius,) incorporeæ sunt, atq; omnino Spiritus (vel spiritualis Essentia) est DEUS, ut ait Salvator Job. IV. 24. Sed quia hæc persona à Patre & Filio spiratur, sive per spirationem (cujus modus inexplicabilis est) ab æterno procedit, & exinde nomine hoc ipsi ratione τονεύματος Patris & Filii propriissimè convenit. Hinc rectè Epiphanius in Anco-  
rato cap. 9. Θεός εἰν παλαιός καὶ νῦν τὸ τονεύμα DEUS est à Patre Filioque Spiritus. Et Augustinus tractat. 99. in Ev-  
ang. Joh. multa sunt Testimonia, inquit, quibus hoc eviden-  
ter ostenditur, & Patris & Filii ipsum esse Spiritum, qui  
in Trinitate dicitur Spiritus Sanctus. Nec ob aliud existi-  
mo ipsum vocari propriè Spiritum, cum etiam, si de singulis  
interrogemur, non possumus non Patrem & Filium Spir-  
itum dicere, quoniam Spiritus est DEUS: i.e. non corpus est  
DEUS, sed Spiritus: quod ergo communiter vocantur &  
singuli, hoc proprie vocari oportuit eum, qui non est unus  
eorum, sed in quo communitas apparet amborum. Hinc  
quodque in summo Exordio Sancti libri Geneseos (ut  
loquitur idem August. l. II. de Civ. DEI c. 32.) Spiritus  
S. ρוח אלחֶם Spiritus DEI, & Matth. XII. 28. τονεύμα  
θεος Patris nempe Matth. X. 20. & Filii Gal. IV. 6. dicitur.  
Est enim εκ της θεος I. Cor. II. 12. Psal. XXX. 6. vocatur  
Spiritus

*Spiritus Oris Jebovæ qvia sc. ex intimo ore divinæ Essentia à Patre & Filio ab æterno spiratur, ut explicat desideratissimus, Avunculus meus B. Gerhardus Exeg. Loc. III. de Trinit- num. 127. Esa. XI. 4. appellatur Spiritus laborum Messiae, qui non est alius, docente D. Egidio Hunnio, prefat. in Libellum de SS. Trinitate, qvam Trinitatis persona tertia, Spiritus S. ex ore incorporali Deitatis Messiae procedens. Qvamvis etiam ob Effectum hoc nomen ipsi tribuatur, qvia Efficaciter moveat hominum corda ac Spirituales & novos motus in illis accedit Rom. VIII. ut observat jam dictus B. Gerhardus disp. Iag. VI. de Spiritu S. thef. 6.*

XV. Priorem Expositionem si admittis, Nomenq; JEHOVA hoc loco per Appositionem Voci Spiritus junctam censes, eo ipso Spiritum Sanctum verum illum DEUM ac Dominum esse fateris. Nomen enim hoc summum, sacro sanctum, gloriosum, pretiosum & majestate plenum (qvod Judæi etiam externæ venerationis causa, non delent, non frangunt, nec scribunt, nec legunt sed penè adorant, ut docet Wilhelmus Schicardus in Meditat. Alphabeti Davidici Psalmo XXV. expressi) soli summo & æterno Deo proprium est, ita, ut illi soli competat & incommunicabile sit; qvicquid contra garriant Georgius Enjedinus in Explicat. Locorum Vet. & Nov. Test. Gen. 16. v. 13. p. 25. Socinus contra Wiekum cap. 6. p. 396. Christoph. Ostorodus in Institut. Theol. Rel. Christ. c. 10. p. 70. Valentinus Smalcius contra Ravenpergerum, p. 47. aliiq; perduelles S. Trinitatis hostes. Nam Exod. III. 15. cum singulari Emphasi dicit Deus: *boc est Nomen meum*, nempe יהוה qvod præcedit, in seculum & memoriale in omnem ætatem. Esa. XLII.

v. 8. ipse qvoq; inquit: אָנֹי יְהוָה קֹא שֵׁם Ego Jehova,  
hoc nomen meum, qvod deinde gloriam & laudem suam vo-  
cat. Et Psal. LXXXIII. 17. cognoscent Te רַבָּךְ שָׁמֶךְ  
יְהוָה בְּאַפָּה שְׁמֶךְ qvod tibi nomen tuum Jehova soli Tibi. Vul-  
gatus aliter, cognoscant, qvia nomen tibi Dominus, tu solus  
Altissimus super omnem terram. Sed non satis com-  
modè ad seqventia retrahit, cùm ad nomen  
יהוָה adeoq; antecedentia pertineat. Cui itaq; ipsum  
Jehovæ nomen prorsus δικαιώνησον tribuitur, illum  
sumnum ac naturā DEUM esse, invictè concludi-  
tur.

XVI. Et si vel maxime hæc expositio per Appo-  
sitionem, qvā καὶ τὸ ὄντος Spiritus S. Jehova, Deus ac  
Dominus dicitur, non habeat locum, qvod obstinate  
propugnant Sociniani; negantes contra tot expre-  
sa Scripturæ Testimonia, Spiritum Sanctum uspiam  
DEUM ac Jeliovam vocari in sacris Literis, sufficit  
tamen, qvod hoc ipso loco Spiritum S. esse Jehovam  
DEUM ac Dominum καὶ πεῖργμα & qvoad diabolos  
ut loqvuntur, doceatur. Perinde enim est, sive diser-  
tis verbis dicatur Spiritum S. Jehovam ac Deum esse,  
sive ea qvæ Dei sunt & DEUM constituunt vel arguant,  
ipsi tribuantur. Nam cuiq; Ea tribuuntur, qvæ  
soli DEO propria sunt, ipsumq; constituunt, arguntq;  
infallibiliter, eum esse DEUM certissimum est. Jam  
verò dicitur h. l. qvod Spiritus Domini locutus sit per  
Davidem, vel juxta hebraicam Veritatem, in Davide.  
Loqui per Davidem & per ora prophetarum uni, &  
soli summo DEO competit, ipsiq; ut proprium vindici-  
atur. Hic enim solus per Prophetas, tanquam per  
sua Organa locutus dicitur. Nulli Creaturæ in tota  
S. Scri-

S. Scripturā id uspiam adsignatur, nec adsignari potest, cum hæc per Prophetas Locutio interiorem mentis illuminationē & directionē verè divinā importet, qvæ soli DEO propria est. Et qvia tam sublimia tamq; divina mysteria Prophetæ (& Apost.) prolocuti sunt, ut à nullo alio qvām à solo altissimo DEO oriri potuerint. Hinc Paulus II. Tim. III. 16. πᾶσι γερμὴν θεόπνευστον. Consentit Petrus, idq; ipsum in thesi & antithesi asseverat II. Petr. I. 20. 21. his verbis τὸν πεῖτον γίνεσθαι σκούψες. *Hoc primum cognoscentes.* Vocabula πεῖτον non tam ordinis est, qvām dignitatis & præstantiæ, hoc primum i.e. primariò, principaliter & ante omnia scientes, qvod omnis prophetia scriptura propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia sed à Spiritu S. Θεοφυσον, inspirati, impulsi (qui utiq; impulsus interior loquela fuit) locuti sunt Sancti DEI homines. Luc. I. 68. 70. Benedictus Dominus Deus Israel, qvia visitavit & fecit redemtionem plebis & sicut locutus est per Os Sanctorum qui à seculo, prophetarum ejus. Inde quoq; ἡμέα Verbum DEI Epb. VI. 17. λόγιον τὸ Θεὸν Εἰσχών DEI Rom. III. 2. Καὶ ὁ λόγος τὸ Θεὸν ψήφισμα DEI. Ebr. IV. 12. dicitur sermo propheticus & Apostolicus, qvia à DEO ipsis prophetis & Apostolis immediatè est inspiratus. Qapropter cui Effectus non nisi soli DEO proprius tribuitur, eundem esse verum Deum exinde infallibiliter concluditur: Atqvi Spiritui S. hoc loco Effectus (nempe loqui per Davidem) non nisi soli DEO proprius tribuitur. E. Spiritum S. esse verum Deum exinde infallibiliter concluditur. Vel. Is qui per Davidem locutus est, est Jehova, verus Deus. At Spiritus S. est is qui per Davi-

Davidem locutus est. E. Spiritus S. est Jehova, verus Deus.

XVII. Largitur Sociniana Cohors, propria ipsius Dei Spiritui S. tribui, in modo ipsius Spiritus S. nomine Deum haud raro intelligi. Et quidem Faustus Socinus secta hujus præcipiuus Dux & Antesignanus, à quo & nomen sortita est, institut. breviss. Relig. Christiane p. ii. ait: Spiritui S. non modo merito tribui id quod est Dei ipsius proprium, sed & Spiritus S. nomine nihil aliud quam ipsum Deum vim & efficaciam suam exercentem intelligi. Idem concedit Christophorus Ostorodus Goslariensis in Instit. german. c. 4. p. 32. Quia Spiritus S. sit Dei virtus & operatio, ideo non mirum est, quod Dei propria ipsi attribuantur, unde etiam fiat, ut sapissime per nomen Spiritus S. nihil aliud quam ipse DEUS intelligendum sit. Similiter largitur Valentinus Smalcius passim; Spiritum S. virtutem esse Patri & Filio communem & in utroq. existentem in altero (nempe Patre) naturaliter, in altero (sc. Filio) Dei beneficio & gratia. Eiq. in sacris literis tribui que non nisi soli & aeterno Deo attribuantur.

XVIII. Id vero negant ac pernegant Antitrinitarii Spiritum Sanctum esse ipsum verum ac aeternum DEUM, & ita verum DEUM, ut sit divina Persona a Patre & Filio vere distincta, adeoque contendunt Spiritum Sanctum esse vim & Efficaciam auctoritatis in DEO, propriaque destituti personalitate. Sic enim jam dictus Smalcius Exam. Error. fol. 4. Error est, Spiritum Sanctum esse Personam a Patre & Christo cuius est Spiritus, distinctam. Et Exam. Error. 134. Fatetur, inquit, Spiritum S. eo modo DEUM dici posse, quo alia attributa DEUS esse dicuntur, sed accurate & propriè loquendo nega-

negamus Spiritum S. esse Deum. Qvia quicquid Deus est persona etiam divina ut sit necesse est. Spiritus S. autem tam persona est, quam alia Dei attributa. Fatetur præterea in Refut. Disp. D. Gravveri de Spiritu S. pag. 6. Si constaret Spiritum S. esse Personam, jam necessariò etiam constaret eum esse Deum. Ibidem pag. 19. ait: Quod Spiritus Dei dicitur satis est ad demonstrandum; Spiritum S. non esse personam à Deo distinctam, vel eundem cum Patre Deum, & qui Dei est, Deus esse dici non potest. Et in specie ad testimonium ex hoc versiculo 2. cap. XXII. Lib. II. Samuel. pro Deitate Spiritus S. à nostris Theologis adductum inter alia regerit Job. Credius Francus lib. I. de Uno Deo Patre Sect. III. quem Spiritus S. Deitati opposuit, scil. qvod inde potius constet Spiritum S. non esse Deum, qvia distinguitur aperte à Jēbova, cum dicatur Spiritus Domini. II. Qvod argumentum fallax sit: Deus locutus est per Davidem. Spiritus S. locutus est per Davidem. E. Spiritas S. est Deus: cum constet ex pars affirmativis in secunda Figura & pariter concludere possit; Spiritum S. esse Patrem, qvi locutus est per Os Davi-  
dis Act. IV. 25. item: Spiritum S. esse Christum: qvia Apoc. II. & III. in Epistolis illis loquitur Filius Dei, qibus sub finem adduntur illa verba: qvi habet aurum audiat, qvid Spiritus dicat Ecclesiā. III. Si invertatur argumentum: Q. per Davidem locutus est, is est Deus Israelis, eam propositionem nec cit. loc. contineri, nec veram esse, nisi hoc modo: Qvæcunq; Persona principaliter locuta est per Davidem, ea est Deus Israelis. IV. Alio modo de DEO loqui Davidem; Dixit DEUS Israel mihi; alio de Spiritu S. nimurum: Spiritus Domini locutus est per me.

XIX. Enimvero Spiritum S. non esse Qualitatem

D

in

in Deo Patre & Filio residentem, sive virtutem & efficiaciam Dei nudam, i.e. propriâ personalitate destitutam sed idiosuſuſov καὶ αὐθιπόστον, veram divinam & à D E O Patre Filioq; distinctam personam nostrates Theologi invictè ex S. L. in Scriptis suis contra Pneumatomachos demonstrarunt. Hoc loco tantum ostendemus, qvomodo ex nostro dicto Spiritus S. personalitas solide posse evinci, ac contra Adversariorum exceptiones tueri. I. Audimus hic vocem Spiritus, vocabulum omnibus scriptoribus, omnibusq; populis substantiam denotans non accidens qvoddam aut Qualitatem, unde concedere cogitur blasphemus ille Transylvanus Engedinus Spiritum S. non esse respectu Dei accidentalem qvandam potentiam & virtutem, sed esse qvoddam Essentiale & substantiam p. 388. Augustinus de cognitione vera & vita cap. 4. recensens ambiguam vocabuli Spiritus significationem sex modos adducit, in qvibus omnibus Spiritus substantialiam notat. Sex modis in Scripturis Spiritus substantialiter dici non nescio à vobis sciri. I. Summus omnium Deus Spiritus appellatur, ut ibi, Spiritus est Deus, Joh. 4. 24. II. Angeli Spiritus dicuntur, ut ibi, qvi facis Angelos tuos Spiritus Ps. 104. 5. III. Anima Spiritus nuncupantur, ut ibi, exhibet Spiritus ejus & caro revertetur in terram Psal. 146. 3. IV. Vita brutorum animalium Spiritus vocatur: ut ibi, qvis scit si Spiritus fumentorum descendat scorsum Eccles. 3. 21. V. Venti dicuntur Spiritus, ut ibi; Spiritus procellarum Psal. 10. 7. VI. Aer scribitur Spiritus, ut ibi: Os meum aperui & traxi Spiritum Psal. 118. 131. Idem ferè repetit etiam 12. Genes. ad lit. c. 7. II. Spiritus S. qvi h. l. & Act. 1. 16. itemq; Hebr. III. 7. per Davidem loqui dicitur, vocatur

catur יְהוָה יְהוָה Deus Dominus Psal. LXXXV. 8. Dominus Deus Israel Luc. I. 68. Deut. XXXII. 12. scriptum est: *Jehova solus duxit Israel & non erat cum eo Deus alienus.* At Spiritus S. ductor Israe lis fuit Esa. LXII. 14. II. Cor. III. 17. dicitur, ὁ νέος οὐ τὸ πνεῦμα δύναται, ubi Articulus voci πνεύμα additus, ac series textus docent, subjectum in propositione esse τὸ πνεῦμα, *Spiritus S. est Dominus,* unde & v. 18. dicitur, *nos transformari de gloria in gloriam a Spiritu Domino.* Nomen autem χριστός nomini Χριστός respondere in N.T. notissimum est. Ast enim verò virtus atque efficacia Dei nuda, i.e. propriæ personalitatis expers nusquam in Scripturis S. appellatur *Jehova, κύρος, Dominus, Deus, Deus Israel &c.* III. Loqui per alium est actio personalis talisque operatio, quæ non nisi personæ competit, ut ex ea firmiter ad substantiam consequentia neceti posit pro concludenda persona. *Vid. D. Andr. Kesleri Metaph. Photin. part. special. Sect. 2. princip. 2.* Spiritum S. ergo personam esse ex hoc ipso predicato personali (quod locutus sit per Davidem) omnino constabit. Et si vel maximè Spiritus S. virtutis nomine appellaretur *Luc. XXIV. 49.* quod urgent Photiniani, id tamen τὴν ὄποιαν ejus nihil derogaret, nam Christus ipse vocatur *Virtus & Sapientia Dei Luc. I. 35. I. Cor. I. 24.* Et Deus passim in Psalmis audit fortitudo & robur nostrum, & tamen personæ sunt, ut ipsi Sociniani fatentur.

XX. Ad Exceptiones Crellii quas thes. 18. adscripsimus, solidissimè respondit *Admod. Rever. ac Ampliss. Dn. D. Abr. Calavius, Theologus longè celeberrimus, Fautor ac Patronus meus magnus In Exeg. Artic. I. August. Conf. Libr. V. sive in Examine librorum Job. Crellii de uno*

*Deo Patre §.501. pag. 1513. seqq.* ut tamen illis hic quoq; pauca reponamus opera pretium esse ducimus. Res pitaq; ad I. Exceptionem, qvæ in formam syllogisticam redacta ita se habet. Qvicunq; Dei esse dicitur, & à Jehova apertè distinguitur, is non est Deus aut Jehova. Spiritus S. Dei esse dicitur & à Jehova apertè distinguitur. E. Spiritus S. non est Deus, aut Jehova. Argumento huic ut satisfrat, notandum, nomen Jehova quandoq; usurpari στωδῶς seu Essentialiter prout communem Essentiam Patris, Filii & Spiritus S. designat, qvi unum sunt I. Job. V. 7. quandoq; οὐσιανάς sive personaliter, prout pro certa Deitatis persona accipitur. Unde & distinctio à Jehova alia est voce sumitā essentialiter, alia quando vox eadem sumitur personaliter. Limitanda ergo Major hoc modo: Qvicunq; à Jehova distinguitur voce accepta essentialiter s. ratione Essentiaz, ille qva talis non est Jehova. Hoc pacto Propositio vera est, Assumptio autem falsa. Licet enim Spiritus S. non sit ille Jehova personaliter, cuius Spiritus est, sed ab eo ratione personæ distingvatur, idem tamen ille Jehova est Essentialiter, sive ratione Essentiaz. Nam personalis distinctione non tollit Essentialiem Unitatem. Distinguitur ergo Spiritus S. à Deo voce illa de Patre & Filio οὐσιανάς s. personaliter accepta, idem tamen nihilomin⁹ est verus Deus & Jehova cum Deo Patre & Filio voce illa στωδῶς sive essentialiter intellecta. Est Deus ratione communis Essentiaz, est Dei Spiritus ratione ineffabilis processionis à Deo Patre, & Filio. Nihil itaq; aliud ex his verbis, qvibus Sp. S. Jehova seu Deus esse dicitur colligi potest aut debet, qvam Spiritum S. non esse ipsum Jehova Patrem, sed ab

ab eo personaliter distinctum, sive esse alium à Patre  
ob τοῦ πατέρος. Licet enim esse Patris & Filii sit  
Esse Spiritus Sancti, non tamen esse Patrem aut Fi-  
lium est esse Spiritum S. & vice versa. Afferunt Pho-  
tiniani Similitudinem, sc. cum virga dicitur esse Mo-  
sis quæ non est Moses. Sed similitudo illa valde dis-  
similis est. Nam in rebus heterogeneis verum quidem  
est, quod alterius esse dicitur, non participare eandem  
substantiam, nec idem esse cum eo, cuius esse dicitur.  
Verum ubi agitur de rebus homogeneis etiam in  
Creaturis alia ratio est; Nam & hominis filius homo  
est. Multò magis in Deo ubi nulla est divisio sed pura  
simplicitas. Et notanda hic regula Theologica est,  
ut eruditè monet Theologus eminentissimus B. Ger-  
baldus Exeg. Loc. III. de Trinitate num. 125. *Genitivus*  
*in Sacris interdum diversam notat Substantiam ubi res*  
*sunt finitæ, interdum aliam significat personam, cum Sub-*  
*jectum est infinitum.* Prioris Exemplum est quando  
dicitur *Ventus Domini*, posterioris quando dicitur  
*Spiritus Domini.*

XXI. Ad II. resp. in Syllogismo illo secundæ figuræ  
vitioso Majorem esse reciprocum, *Deus locutus est per*  
*os Davidis, & Quidam per os Davidis locutus est, Deus*  
*est.* Qualis reciprocatio non occurrit in illis; *Pater lo-*  
*cutus est per os Davidis; Spiritus S. locutus est Asiaticis*  
*Ecclesiis Apoc. II. & III.* Facile autem formari potest ar-  
gumentum in primâ figurâ. *Quicunq; per os Davidis.*  
*locutus est is est Deus.* At *SS. locutus est per os Davidis*  
*E. S. S. est Deus.* Ad III. Concedimus totidem concep-  
tis verbis jam dictam Majorem propositionem in  
nostro textu non haberi. *Quidam respondent, Spi-*  
*ritum Domini qui per Davidem locutus est exegit*

mox Deum Israelis vocari, atque inde facilis negotio  
hanc propositionem extrui posse. Rectius tamen alii  
per Deum Israelis Deum patrem intelligunt, ut suo lo-  
eo pluribus dicitur. Cum vero loqui per ora Prophetarum  
operatio vere divina sit & soli Deo propria, ut  
supra insinuatum est, eaque h. l. Spiritui S. tribuatur,  
inde invicem concludimus, Eum esse Deum & Jeho-  
vam. Limitatio illa Creliana: Quaecumque Persona prin-  
cipaliter locuta est per Davidem, nobis non adversatur,  
ipsi enim affirmamus Spiritum S. cum principalem causam  
direxisse Davidem utpote ministerialem causam  
vaticiniorum, nec necessaria est, cum loqui per os Davi-  
dis vel Prophetas sit causae principalis actio. Ad. IV. Resp.  
Prædicatorum horum: Locutus est, locutus est per me, vel  
in me, dixit mihi sensus unius & id est, eademque innui-  
tur materia, idem objectum, De quo Deus dixit Davidi Et  
per os ejus locutus est Spiritus S. Solent enim in ejusmo-  
di canticis res eadem eleganter & emphaseos causa  
distinctis efferri verbis. Subjectum vero variat Rex  
David, & modo Spiritum Domini, modo Deum Israe-  
lis, modo Petram Israelis introducit loquentem, ut in  
hac ultima fidei sua confessione, totam SS. celebret  
Trinitatem, de quo ad versiculum sequentem.

XXII. וְמִלְחָמָה עַל־לִשְׁנָה. LXX ἐλόγος αὐτὸς οὗτος γλώσ-  
σας μη. Vulgata; Et sermo ejus per Lingua meam. Cōsen-  
tit Tremelius, Tigurina; & eloquium ejus (fuit) in lingua  
mea. Arias Montanus; Et sermo ejus super lingvā mācā. Per  
vocē τῆς, quæ Chaldaic & Syris Verbum & Sermonē  
significat, qvidam λόγοι, καὶ φρεσκοὶ, qvidam vero καὶ ξε-  
νοὶ. ipsum Dei Filium unigenitū intelligunt. Fran-  
cisc. Junius Defens. III. Catholicae doctrina de Trinitate  
adversus Samosatenos p. 42. Edit. Heidelberg. ubi probat  
non

non Johannem Evangelistam solūm sed & alios Santos viros in Scripturis Christum appellare Verbum Jehovæ, inter alia testimonia hunc nostrum quoque versiculum adducit; atque in eo per verbum seu sermonem Dei filium denotari asserit. An. c15 I5 cXIX. HelmstadI sub Præsidio D. Calixti habita est disputatio de Deo & tribus personis unius indivisa Deitatis autore & Respondente M. Laurentio Andreæ, in qua thesi LX. hæc Commatis nostri interpretatio defenditur & ex eo Mysterium SS. Trinitatis probatur. Verba Æterna hæc sunt: *Potes t autem hæc Trinitas Scripturae testimonis tum Veteris tum Novi fæderis probari. Ex veteri hæc potissimum adducimus: 2. Sam. 23. v. 2. Spiritus Domini locutus est in me & sermo ejus per linguam meam... Ubi per Dominum intelligitur Deus Pater, per sermonem Deus Filius, & per Spiritum Deus Spiritus Sanctus. Psal. XXXIII. 6. Verbo Domini coeli firmati sunt & Spiritu Oris ejus omnis exercitus eorum &c.*

Hæc ibi.

XVIII. Haud incongruè quidem Mysterium SS. Trinitatis ex hoc commate nonnulli probant. Jehova enim sive Deus Pater disertè nominatur, ejusq; Spiritus, nempe Spiritus S. Secundam autem S. Trinitatis personam Verbum in S. Scripturâ appellari tam certum est quam quod certissimum. *Franciscus Junius* loco jam allegato quatuor loca adducit ex V. T. in quibus Filius Dei vocetur Verbum, *Verbum vel Sermo JEHOVAE* inquit, disertè appellatur (*Christus*) in Scriptura his verbis: Revelavit se JEHOVA Samueli Silunte in Sermone Jehovæ I. Sam. III. 21. item propter sermonem tuum & secundum animum tuum præfas has omnes res maximas. II. Sam. VII. 21. (*nam sermonem hic de*

de persona dici non autem de transeunte verbo ostendit e-  
jusdem laudationis antigraphum I. Chron. XVII. 19. item,  
Spiritus Jehovæ locutus est in me & sermo ejus per  
lingvam meam II. Sam. XXIII. 2. item, sum vobiscum,  
dictum Jehovæ Exercituum, cum Verbo, quo pepige-  
ram vobiscum ex euntibus vobis ex Aegypto & Spiritu  
meo stante in medio vestri. Haggai II. 5. In Versione  
sua hæc loca scholiis hisce illulant Franc. Junius &  
Tremelius & quidem ad I. notant; In sermone Jebova,  
i.e. in Christo Jesu: qui superioribus quidem temporibus  
Angelus Jebova dictus est, in libris precedentibus: dein  
eeps verò prout succedente tempore se patescit clarus ser-  
mo Jebova appellatur ut II. Sam. VII. 21. Ad II. propter  
sermonem tuum, i. e. propter Christum, servum tuum,  
qui verbum æternum est vel æternus sermo patri quo  
&c. sup. I. Schem. III. 21. vid. I. Chron. XVII. 19. Ad III. Spi-  
ritus Jebova locutus est &c. id e. Deus Pater per Fi-  
lium in Spiritu animum & lingvam meam moderatus est  
ad Prophetias ex aranias. Ad IV. Sum vobiscum dictum  
Jehovæ &c. i. e. Dei patris sese explicantis in Christo ver-  
bo eterno suo, & per eum communicantis cum Ecclesia sua.  
Hunc locum quicunq; aliter interpretantur, aut Synchysis  
durissimam horum duorum versuum coguntur invehere &  
a prophetæ consilio alienam, aut vim facere particule,  
quà bic propheta utitur: Nos verò cum mysteria proceden-  
te tempore magis innotuisse prophetis & fuisse Ecclesiæ  
proposita ex ipso Dei verbo cognoscamus, simplicitatem ver-  
borum secuti & argumenti genus, statuimus Deum Pa-  
trum presentiam sui ipsius cum Christo Servatore nostro &  
cum Spiritu S. promittere Ecclesiæ atq; hoc vindice ad-  
versus omnia mala confirmare. Est itaq; hic locus de San-  
cta Trinitate evidenter. Hactenus Junius & Tre-  
melius

mellius. Palmarius locus in quo filius Dei Patri *συνάδει*. Verbum seu sermo in V. T. vocatur est *ψ. XXXIII.*  
 6. Verbo Domini cœli firmati sunt & Spiritu Oris ejus omnis Exercitus eorum. Chaldæi Bibliorum Paraphrastes usitato loquendi modo Messiam מֶלֶךְ וָמֶלֶךְ Verbum appellant. Loca passim obvia sunt v. g. Gen: XLVIII. 21. in Hebræo legimus; erit Deus *Vobis* cum Chaldæus verit: *Erit verbum Domini in auxilio vestro.* Levit. XXVI. ii. in Hebræo est: *non fasidiet vos anima mea*, & mox vers. 30. *fasidiet vos anima mea*. Onkelos & Jonathan utroque vertunt Verbum meum. Esa. XXVI. 4. confidite Jehovæ, in Hebræo est, Chaldæus habet: *Confidite in Verbo Jehovæ.* Ole. I. 7. ubi veritas hebraica habet, salvabo eos in Domino Deo suo, Chaldæus verit, eruam eos in verbo seu per verbum Domini. Hinc Paulus Fagius, vir quidem doctissimus & de literis Hebraicis optimè meritus, sed Sacramentario dogmati addictus in *Chaldaicam Pentateuchi parapbrasim comment.* ad cap. V. Deuteronomii v. 4. & hæc verba Mosis; *Ego stabam inter verbum Domini & inter vos, in tempore illo, annotat;* habet hoc peculiare Chaldaismus, ut plurimam mentionem faciat Verbi Domini, maximè in his locis, ubi Deus inducitur logicum cum homine, quæres pulchre facit ad mysterium Christi, quiescit verbum Patris, & confirmat fidem nostram quæ tenemus illum presentem suisse patribus. Non tamen semper & ubique Targumim appellatione מֶלֶךְ Verbi filium Dei sed quandoque ipsum Jehovah vel ejusdem attributa intelligunt, ut observat celeerrimus Theologus Dn. D. Glassius Χριστογλωσσus Mosaicus & dissert. i. quest. 4. thes. 94. In N. Testamento Dei Filius λόγος vocatur à Johanne compromis c. I. v. 1. 14. I. Epist. I. 1. & cap. V. 7. Apoc. XIX. 13.

XXIV. Hæc cum ita sint, haud incongruè, inqvam, ex hoc commate secundo mysterium SS. Trinitatis nonnulli probant. Verùm enim verò cum pleriqvے Interpretum h.l. per vocem Καὶ λόγον non ὡρούσινον sed ἀρχούσινον intelligat, ita ut hæc omnia Spiritus Domini locutus est per me & sermo ejus per linguam meam ad Spiritum S. in Davide & per Lingvam ejus loquenter & verba facientem referantur (qui non solum intellectum Davidis sed & lingvam ejus ad loqvendum direxit, ut exponit Liranus) cum B. Lutherò non tam ipsum totum SS. Trinitatis mysterium, qvàm initium ejus hoc commate proponi statuimus, cuius complementum seqvente versiculo addatur. Verba Lutheri hæc sunt : *Hie wil David mir zu wunderlich werden und zu hoch fahren / GOTT gebe / das ichs doch ein wenig erlangen möge. Denn er fehet hie an* (perperam vertit hæc verba Caspar Cruciger; hic statim initio complectitur illum summum Articulum &c. vertere debebat, hic incipit complecti) *Von der hohen heiligen Dreyfaltigkeit Göttliches Wesens zu reden. Erstlich nennet er den heiligen Geist / dem gibt er alles was die Propheten weissagen und auf diesen und dergleichen Sprüche siehet S. Petrus II. Petr. I. &c. Verbis autem seqventibus nostri textus: Dixit Deus Israel mihi ,locutus est fortis Israel, subjungit; Nu haben wir drey Redener &c.*

XXV. Cæterūm qvando piissimus rex David h.l. dicit: *Spiritus Domini locutus est per me , & sermo ejus per linguam me am*, hoc ipso docemur I. Sacrae Scripturæ Auctorem seu causam Efficientem principalem esse solum Deum. Prophetas verò Apostolos & Evangelistas

gelistas esse DEI Autoris ministros & Actuarios, vult enim dicere David se nihil loqui proprium sed divinae gratiae instrumentum esse, ut ad similem locum annotat *Theodoreetus*. In eandem sententiam *Luc. I. 68.*  
*& 70.* dicit *Zacharias*; *benedictus Dominus Deus Israel sicut locutus est per Os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophatarum ejus. Act. I. 16.* Oportet impleri scripturam quam predixit *Spiritus S. per Os Davidis. Conf. Act. XXVIII. 25.* Unde & *Os Domini olim dicebantur Prophetæ: Esa. I. 20.* *Os Domini locutum est. Esa. XXX. 2. Os meum, non interrogasti*, i. e. Oraculum meum per *Jeremiam Prophetam* vobis significatus respuistis, ut exponit *Esius. Jerem. XV. 19.* *Quasi Os meum eris*, i. e. eris Prophetæ & præco meus, mihi conjunctissimus, per quem ego m̄ca secreta & decreta edicam & proloqvar, ut interpretatur *Menoobius*. Hinc Deus ipse loqui censebatur, quicquid Prophetæ loquebantur. Servator ad Apostolos ait *Matt. X. 20.* *Non vos estis qui loquimini sed Spiritus Patris vestri*. Hucq; spectat quod gentium Doctor *II. Cor. XIII. 3.* de seipso scribit; *Qui in me loquitur Christus*. Hæc & similia dicta respiciens Apostolus Petrus *II. Epist. I. 21.* inquit; *Non voluntate (libitu) hominis allata est aliquando prophetia, sed a Spiritu S. impulsi locuti sunt sancti Dei homines*, (i.e. prophetæ qui sic dicebantur propter divinum munus, quo fungebantur, ut vidua Sareptana Eliam virum Dei *I. Reg. XVII. 18.* vide etiam *I. Reg. XIII. 1.* & Paulus Timotheum.. *I. Timoth. VI. 11.* omnemque doctorem Ecclesiæ hominem Dei *II. Tim. III. ult.* appellat). Neq; solum dicta Prophetarum & Apostolorum Deo tanquam principaliter loquenti, sed etiam scripta tanquam principaliter scri-

E 2 benti

TESTAMENTUM DAVIDICUM SIVE

36 benti tribuenda sunt. Unde Lorinus ad Locū Petrinum. jam adductū Prophetæ, ait, dicuntur locuti à Spiritu S. inspirati, per loquendi verbum scriptiōnem quoque comprehendendo. Imò verbum λαλῶ de ipsa Scriptura sacra usurpatur Act. II. 31. David εἰλάλησε, locutus est de resurrecōne Christi nempe Ps. XVI. 10. Act. III. 24. Omnes Prophetæ à Samuel & qui deinceps εἰλάλησαν, locuti sunt. Psal. XLV. 2. inquit David, Lingua mea stylus vel calamus scribæ celerrimi, velocis, prompti, Chaldaeus, scribæ exercitati, Cyprianus lib. II. adversus Iudeos c. 29. Scriptoris acutè scribentis, vel (ut mavult Ludov. de Dieu animadvers. in c. 16. v. 5. Esaiæ) periti, puta Spiritus Sancti qui instar peritisim scribæ movet & dirigit lingvam meam, quasi calatum suum, ita Basilius, Eusebius, Theodoretus. Gilbertus Genebrardus ad hunc locum, Dicitur hoc ideo, inquit, quia Autores sacri suorum librorum non sunt Autores, sed scriptores & notarii & tangvam instrumenta. Autor enim est spiritus S. qui ipsorum linguae & calamo infidet & preest. Cyprianus serm. de Eleem. Spiritus S. erat scriba, Prophetæ erant ejus calami, quibus Spiritus S. scribenda dictabat. Chrysostomus homil. 3. de incomprehens. Dei Naturā: Cum Esaiam dico, sententiam Spiritus S. intelligo. Prophetæ enim non nisi ea quæ divinitus inspirantur, scribit & loquitur. Usus itaq; Deus est in tradendo & consignando verbo suo Prophetarū & (quorum hac in parte æqvalis ratio) Apostolorum & Evāgelistarū lingua & manu veluti adscitio calamo, unde & Dei Amanuenses, Spiritus S. tabelliones, sive Notarii aut Actuarii, Christi manus dicuntur. Eleganter S. Augustinus Hipponensiū præsul lib. 1. de Cōfessu Evangelist. cap. ult. Quicquid Servator de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis (Apostolis sc. & discipulis)

tan-

EXPLICAT. VERB. ULT. DAV. II. SAM. XXIII. 1. seq.

*tanguam suis manibus imperavit.* Ac in universum quid est Scriptura S. nisi quædam Epistola omnipotentis Dei (ut loquitur Gregorius M. lib. IV. Epistol. 40. ad Theodorum Medicum Tom. 2. col. 808.) per Amanuenses ejus, Prophetas, Apostolos & Evangelistas Deo ipso calamum ducente & dirigente scripta, & de cœlo ad Creaturam suam missa, quæ de Essentia & voluntate ipsius nos instruat, ac viam ad cœlos nobis commonstrat. Sanè ipse Deus augustissimum scribendi initium fecit, cum Legem, quam antea coram toto populo ex monte Sinai pronunciaverat, lapideis tabulis suo dигito inscripsit Exod. XXIV. 12, cap. XXXI. 18. Hinc Exod. XXXII. 16. dicitur: *erat qu tabula opus Dei ipse, & Scriptura, scriptura Dei ipse insculpta tabulis.* Sacra ergò volumina (verba sunt Origenis bomil. 2. in Exodum) Spiritus plenitudine spirant, nihilque est sive in Propheticia, sive in lege, sive in Evangelio, sive in Apostolo, quod non à plenitudine divinæ majestatis descendat.

XXV. Duo hinc deducimus *πολιτεία I. Sacram* Scripturam obtinere summam ac prorsus divinam Autoritatem, cum Deum Autorem habeat, hancque Autoritatem & majestatem ipsi divinitus insitam atque internam esse, nec aliunde dependere sive in se, sive quoad nos nisi ab Autore DEO, qui & efficiens *εὐεκτική* meritò appellatur eò quod à Scriptura nunquam obfiscat, quam ipse sibi fecit organon per quod efficax esse velit in animis eorum qui eam audiunt, legunt, vel meditantur. Tenendum hoc contra Pontificios est, qui contendunt Autoritatem Ecclesiæ aut etiam Pontificis, quem per Ecclesiam intelligunt (juxta effatum Jacobi Gretseri, Jesuitæ maledici Tom. I. de-

E 3

fens.

fens. Bellarmini p. 1450. Nos per Ecclesiam intelligimus Pontificem Romanum) majorem esse Autoritatem Scripturae, hujusque Autoritatem ab Ecclesia testimonio & Autoritate saltim quoad nos, unicè dependere. Sic enim Albertus Pighius, impotens Papatus defensor lib. I. Hierarchia Eccles. c. 2. *Omnis quæ nunc apud nos est Scripturarum Autoritas ab Ecclesia Autoritate dependet necessariò.* Adeoque parvi aestimant S. Scripturas, si non præfigatur illis Ecclesia privilegium & diploma. Ita namque Cardinalis Hosius, acerrimus Evangelicæ veritatis Osor lib. 3. aduersus Prolegomena Brentii. *Nisi nos, inquit, Ecclesia doceret Autoritas, hanc Scripturam esse Canonicam, perexiguum apud nos pondus haberet.* II. Nullum dolum, nullum mendacium aut falsitatem, nullum vel minimum Errorem, nullam ignorantiam vel oblivionem adsignari posse aut debere sacris Scriptoribus. Qvodcumq; enim σφάλμα, quæcunque falsitas, ignorantia & oblivio Prophetis ac Apostolis tribuitur, Spiritui Jehovæ, qui per os eorum locutus est, imputatur. Deus autem per infinitam suam scientiam nihil ignorare, nullius obliuisci, per infinitam veracitatem & infallibilitatem suam ne in minimo errare aut fallere, & per infinitam denique bonitatem suam nemini imponere, neminem in fraudem ac Errorem inducere potest. *Non est Deus quasi homo ut mentiatur.* Num. XXIII. 19. *Impossibile est Deum mentiri.* Ebr. VI. 18. Verbum Dei nihil docere potest quam τὸ ναι καὶ τὸ οὐκεν, etiam & Amen, seu fidos & veraces sermones. II. Cor. I. 17. 18. 19. Apoc. XXI. 5. Recte August. lib. I. de meritis & remissione peccatorum. cap. 22. *Sancta Scriptura nec fallere nec falli.* Recte Lan-

Etantius lib. 6. c. 21. Deus summa providentia carere feco  
voluit ea, quae divina sunt, ut omnes intelligerent quod ipse  
omnibus loquebatur. Impium itaque & falsum est, quod  
scribit Faustus Socinus libr. de Autoritate Scripturæ p.  
77. Fieri potuisse ut Apostoli & Evangelistæ in aliquibus  
leviter errarint. Irreligiosum quod Albertus Pigbius,  
Erasmus, jamq; dictus Socinus & alii μνημονίων αιματηρα  
Apostolis & Evangelistis publicis Christi & Ecclesiæ  
Notariis tribuunt, ipsum enim Spiritum S. Scripturæ  
Autorem lapsus & Erroris incusant. Blasphemum,  
quod homo peccati ac filius perditionis Leo X. P. R.  
secretario suo Bembo, aliquid ex Evangelis proferen-  
ti dixisse fertur: *Quantum nobis nostrisq; profuerit ea de  
Christo Fabula satis est seculis omnibus notum.* Minimè  
quoque pia censenda est illa Latinitatis Affectatio, quā  
Hugo Grotius Parabolas Evangelicas verbis magni  
Dei & Servatoris nostri Jesu Christi conceptas, vocat  
*Fabulas & Fabellas Chribi* de Jure Belli & Pacis lib. 2.  
c.XX. §. 48. in fine & c. XXIV. §. 4. Fabula enim & Fa-  
bella in communi usu tantum non mendacium signi-  
ficat: & ipse in Parabolis Christi urgere videtur men-  
daciū faltem διπλασία, putat enim in Controversia  
de mendacio aliquo licito an illicito facere ad *Conci-*  
*litationem sententiarum dissidentium* ut scilicet menda-  
cium in largiori acceptione non sit semper in vitiō possum:  
quia ipse Christus, inquit, per fabularum ambages popu-  
lum alloquitur lib. III c. 1. §. 10. Ita Grotianam hanc teme-  
ritatem dicam an impietatem? proponit & perstrin-  
git Job. Cloppenburgius Theol. D. & Prof. in Acad. Frane-  
quera in Syntagm. Select. Exercit. Exerc. III. diff. I. de Ca-  
none Theologiae tb. 10.

XXVI. Docemur II. hoc secundo commate Spiritum S. non solum res & sententias seu sensum verborum Prophetis & Apostolis inspirasse, quas suo Idiomate, suisq; verbis pro arbitrio suo efferrent sed & ipsa verba & voces in Individuo, sive ratione Entitatis suæ sacris scriptoribus suppeditasse. Notanter enim dicit rex David; *Spiritus Domini locutus est per me, h.e. nō ego, sed Spiritus S. per os meum loquitur,* & sermo ejus per (vel super) lingvam meam, i.e. ipsum hoc Eloquium, ipsa hæc verba non mea sunt sed Spiritus S. Ego nihil confero præter Instrumentum & quasi vehiculum, videl. Lingvam meam. Hinc Christus Matth. X. 20. *Non vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.* I. Cor. II. 13. *Quæ & loquimur cùx cù διδαχοῖς αἱρεπίους στοφίας λόγοις, non in doctis humana sapientia verbis sed cù διδαχοῖς τονεύματοι οἷς (scil. λόγοις) in doctis Spiritus S. (verbis) i.e. quæ docet & suggesterit Spiritus S. Spiritualibus spiritualia conffrentes. Opponuntur hic verba, quæ à Spiritu S. esse dicuntur etiam sapientissimè excogitatis verbis. E. ab homine non fuerunt inventa, sed unicè Spiritui S. tribuuntur & tribuenda sunt. Conf. Act. II. 3. 4. 7. 8. Ex his & similibus dictis firmiter concludimus, & res sive sententias & verba seu voces in Scriptura adhibitas esse Sacris Scriptoribus à Deo inditas ac inspiratas, ductuque illius sive immediatâ directione Spiritus S. consignatas. Neç sancè infallibilis fides Scripturæ verbis haberi posset, si hominum verba & non Spiritus S. essent. Largimur interim ejusmodi verba Spiritum S. Prophetis & Apostolis inspirasse, quæ illis erant usitata & communī usū comprobata, sive qvibus aliás usū fuissent; si sibi fuissent relicti. Pro ratione enim Amanuensium Spiritus S. verba formavit, idq; ideo, ut mysteria secundūm consuetum dicendi modum consignarentur. Rechè Chrysost. Homil. 15. in c. 2. Genes. Tom. 5. fol. 63. B. Neg. dictio parva, neg. syllaba in Divinis Literis contenit et prætereunda. Non enim verba tantum sunt, sed & Spiritus S. verba. Et propterea magnum in his thesaurum invenire licet, etiam in una dictione.*

as(0)so

D1 A 6640



3

56.

V.D.17





Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres  
Inches

26.

27.

# TESTAMENTUM DAVIDICVM,

*Sive*

## ULTIMORUM VERBO- RVM DAVIDIS

*II. Samuelis XXIII. 1. seq.  
SUCCINCTA ET ORTHODOXA EXPOSITIO.*

### DISPUTATIO I.

exhibens *Exhymnus*  
versiculi 1. & 2,

*Quam*  
in incluta Academia Wittebergenſi

P R A E S I D E

JOHAN. ANDREA QVENSTEDT,  
SS. THEOL. D. & Prof. Extraord.

Dn. Patreno ac Praeceptore suo longè devene-  
rando & amando publice defendet

CHRISTOPHORUS LANG/

Ruffio Hungarus  
*In Auditorio Collegii Veteris  
ad Diem Julli horis matutinis;*

VVITTEBERGÆ

Typis JOBI WILHELMI FINCELII,

ANNO CLO I3 CLIV.